

*Erat docens eos quasi potestatem habens.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Marcum 1, 21-28

In illo témpore:

<sup>21</sup> Iesus et discípuli eius ingrediúntur Caphárnaum.  
Et statim sábbatis ingressus synagógam docébat.

<sup>22</sup> Et stupébant super doctrína eius:  
erat enim docens eos quasi potestátem habens  
et non sicut scribæ.

<sup>23</sup> Et statim erat in synagóga eórum  
homo in spíritu immúndo;  
et exclamávit <sup>24</sup> dicens:  
«Quid nobis et tibi, Iesu Nazaréne?  
Venísti pérdere nos?  
Scio qui sis: Sanctus Dei».

<sup>25</sup> Et comminátus est ei Iesus dicens:  
«Obmutésce et exi de hómine!».

<sup>26</sup> Et discérens eum spíritus immúndus  
et exclámans voce magna exívit ab eo.

<sup>27</sup> Et miráti sunt omnes,  
ita ut conquírerent inter se dicéntes:  
«Quidnam est hoc?  
Doctrína nova cum potestáte;  
et spíritibus immúndis ímperat,  
et obóediunt ei».

<sup>28</sup> Et procéssit rumor eius statim ubíque  
in omnem regiónem Galilææ.

Verbum Dómini.